

Dissertatio solennis de inflammatione ... / [Johann Jakob Marchand].

Contributors

Marchand, Johann Jakob, active 1695.
Berger, Johann Gottfried von, 1659-1736.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Vitembergae : Typis Christiani Schrödteri, [1695]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jx25wdvw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. B. V.

DISSERTATIO SOLENNIS

DE

INFLAMMATIONE,

QUAM

DE SENTENTIA
GRATIOSI ORDINIS,

PRAESIDE

JO.GOTHOFREDO BERGERO,
D. Ordinis Medici Seniore, ac Pa-
thologiæ Prof. Publ.

Præceptore summa observantia colendo,

PRO

LICENTIA
SUMMOS MEDICINÆ HONORES
CONSEQUENDI,

P. P.

JO. JACOBUS MARCHAND,
Hanoviensis,

A. D. XXIV. JANUAR. A. ob Ic XCV.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM
SOLITIS.

VITEMBERGAE,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

DISSERTATIO SOLENNIS
DE
INFLAMMATIONE.

I.

Vod morborum genus Φλεγμονή^η. Græci, illud Latini Inflammationem duxerunt appellandum; qvo autem jure utrumque rei nomen sit inditum, cuvis iudicandum, in primisq; illis relinquo disputandum, qvi verborum vim, ac pondus, rerum indole, ac natura metiuntur. Nobis qvidem sufficerit, nosse, nostra patrumque memoria (ne in antiquius procedam) universam Medicorum scholam iis nominibus intellexisse tumorem, tactui resistentem, immodici caloris, ruboris, doloris, ac pulsationis. Cujus cum varia sint, & diversa inter se, pro partium affectarum discrimine, genera; ea quidem omnia justa serie, ordineque in præsenti perseqvi, nec nostri consilii ratio fert, neque instituti modus capit, cuius solum interest, qvam vocamus, inflammationem strictim generatimq; considerari, rei accurate planeque pernoscendæ studiosis ad eos delegatis, qvi in eam tradendi curam incubuerunt.

II.

Quod dum, successus propositi prosperos, lætumque cœpti eventum, a Deo immortali sancte precatus,

DISSERTAT. SOLENNIS

catus, facere ingredior, excusanda mihi videtur antiquitas veneranda, cum ignara vitalis circuli, quo sanguinis universum corpus rivulis calentibus perpetuo circumluit, effusio, qvam pars desideret, accessione sanguinis suscipi gignique inflammationem existimavit. Posteaq; enim sanguinis conversum in orbem cursum, qvem jam pridem intellexerat, atq; aamicis indicaverat *Paulus Sarpius*, Venetus ; multoq; ante eum designaverat *Andreas Cesalpinus*, V. Peripat.

Ques. 4. sed multis superior seculis *Nemesius*, Philosopher, & Episcopus, (*de natura hominis*,) agnoverat; neq; jam olim princeps Medicorum, quod monumenta ingenii, ad posteros servata, produnt, omnino ignorasse poterat; ab *Harvejo* expositum, oculis certe, ac manibus contingere licuit, adeo, ut nullus huic dubitationi locus amplius relinqatur : id qvidem omnibus satis fuit perspicuum, a pulsu cordis motum sanguinis pendere, eumq; flumine qvodam æquabili per arterias in corpus totum distribui, atq; adeo largiori accessione unam tantum, alteramve partem irrigari minime posse; sed, si qva abundantia, vel incitatione vehementiore, affluant corporis succi, cunctas ejus partes eodem impetu debere obrui. Potius mirari conveniat, in tanta Anatomes luce idem hodieq; evenire, qvod (ut apud V. CL. *Danielem Sennertum est V. Med. Pract. 5.*) sua jam ætate conquesitus est *Galenus*, ut non modo imperitæ hominum multititudini, sed ne ipsis qvidem Medicis omnibus, cognita satis, perspectaq; sit ejus morbi natura, & origo, qvando sanguinem venosum potius, quam arteriosum, in porosaq; partium substantia hærentem,

& con-

& congestum accusant; atque adeo ad inveniendum
discrimen, quod inter inflammationem, atque ecchy-
moma intercedit, explicandaque cuncta illius phæ-
nomena, modo fermentationem peregrinam, & præ-
ternaturalem, modo effervescentiam humorum, ex
atque institutione sanguinis, & discessu, fugaque
particularum spirituofarum, ac conflictu reliquiarum
acrium, & acidarum, advocate coguntur.
Quemadmodum apud *Franciscum de le Boe Sylvium*, cu-
jus vestigiis haud ita pauci insistunt, reperias. *I. Prax.*
Med. 40. §. 15.

III.

Quæ quidem opinio inde potissimum extitisse
videtur, quod, cum circuitonem sanguinis per ana-
stomoses arteriarum, & venarum quvarumlibet fieri,
persvasum quibusdam esset; iidem, sanguinem oscula
arteriarum inflammatione egredi, in partiumque
substantia colligi, crederent. Quos tamen erroris
arguerunt, qui sanguinem non tantum per anasto-
moses, quas prædiximus, sed & per poros, ac mea-
tus partium circumagi, existimarunt, veriti, ne par-
tes illorum vasorum commissuris nutrimento fra-
darentur. *Impellitur enim (inquit Isbrand. de Diemer-
broeck, XI. Anat. corp. hum. 8.) per arterias copiosus sanguis,*
cujus bona quantitas per minimarum arteriolarum fines
effluit in poros substantiae partium, ejusque ad nutritionem
*tantum apponitur cuique parti, quantum vel necesse, vel ap-
poni, & assimilari aptum est: reliquum vero ulterius pro-
cedit, & hiantia minimarum venarum, partibus inharenti-
em, oscula subit, & sic ulterius progreditur ad majores ve-
ras.* Donec tandem alii de secretionis animalis ne-

gotio cogitare cœperunt, ac, desertis neglectisque anastomosisbus, contendenterunt, inter fines utrorumq; vasorum interjectas esse fibras, & tubulos membranaceos, muscularum, glandularum, & partium quarumvis ceterarum, per eosque sanguini ex suminis arteriis in summas venas dari transitum. In quam sententiam, duce Willisio, Exerc. de motu muscul. Stephanus Blancardus, Append. ad Anat. pract. sive Tr. nov. de circulat. per tubulos &c. p. 305. tradit: Sanguinis itaque per totum corpus periodum hocce modo firmiter statuimus esse; nempe cruentem ex arteriis per fibras, sive carnis, sive viscera, aut partium membranarum, ad venarum oscula terminari, iisque inseri, non secus, ac plurimi in renibus cancelluli uni carunculae renali inseruntur, atque terminantur. Per has igitur sanguis ex arteriis transiens continuo venis, ad cor revehendus, traditur. Quo factum est, ut sanguinem, intra hos tubulos, vel interstitia eorum, ad ostia venarum congestum, nec, qua eat per eas, redatve, habentem, inflammationis auctorem ferre non dubitarent. Atque ut eam a suggestione distinguherent, effervescentiam, ac fermentationem humorum, in societatem causæ adseiverunt.

IV.

Hæc talia gravem veri speciem præ se ferunt, & per multis admodum probantur: lubrico tamen, atque infirmo munimento eadem insistere, facile existimaverit, quisquis animo cuncta reputaret. Scimus enim illas vasorum osculationes non minus esse confictas, quam fibras, arterias, & venas capillares intermedias, quibus Blancardus tam confidenter gloriatur. Qvod enim ad argumenta, quæ in medi-

um

um attulit, ab ipsa, ut quidem ait, experientia de-
promta, attinet: res, vel me tacente, loquitur ipsa,
musculum secundum ductum, seriemque fibrarum
incisum, nisi læsum, tactumque fuerit vas sanguineum,
sanguinem profundere haud posse. At vero eodem
ex transverso secto, arteriæ pariter & venæ discindan-
tur necesse est, atque adeo sanguis profluat; quem ta-
men ex fibris stillare, vix ægreque, mea quidem sen-
tentia, ei persuaseris, qui ejus rei fecerit periculum.
Atque adeo cave, putas, injectum per arterias liqvo-
rem atrum, aliumve vendam, cruentum per fistulas
carneas propellere, aut, quod *Villius* dicitur exper-
tus, easdem colore suo inficere; cum nusquam, nisi
in ipsis vasibus, vel cruentor, vel coloratus liqvor, muscu-
lo ex transverso inciso, insipientibus appareat. Cu-
jus quidem experimenti fraudes, ut cetera omittam,
vel ex eo suspicemur licet, quod utrum sanguinis fi-
bras carneas penitus subeat, an liquorem tantum
subtilem, sibi detractum, ipsis instillet, nullo adhuc
certo indicio comperire se potuisse, posteriusque sibi
probabilius videri, idem ille *Villius* ipse l.c. cogatur
fateri. Id vero multo minus ex carnibus coctis, &
calentibus adhuc probari poterit. Fallitur enim *Blan-*
cardus, quando *viginti, aut triginta* fibras fasciculatim
sibi invicem conjunctas, atque ab aliis fasciculis tenui mem-
brana duntaxat separatas, singulatim venarum epistomis
in oculari l.c. scribit; cum in carnibus, sive coctæ fue-
rint, sive crudæ, quoquo modo experiare, ni-
hil deprehendere aliud queas, quam vasa mi-
nima, retis instar ex summis venis, summisque arte-
riis contexta, multiplicibus inter se ramulis commu-
nica

nicare, & conjungi. *Enimvero possit videri*
cujusdam esse momenti, quod Diemerbrockius l. c. ad-
hibet, argumentum: nisi, sanguinem ex arteriis per
substantiam partium in venas commeare, concesserit,
mus, viam non esse, qva intercus aqua in anafarca,
per renes cum urina, vel per alvum reddi possit.
Verum quem non fugerit, aquam intercutem-
maltum corporis habitum seqvi, atqve in cacochy-
mia sanguinis, serosa potissimum, consistere, eaque
non solum vascula arteriarum, venarumque capil-
laria, quibus reticularis cutis contextus abundat,
(cum per interiores easque majores arterias, humo-
res ceteri progrediantur) sed glandulas etiam, ac
poros cutis, atqve adeo habitum corporis univer-
suum, inferciri; is vero, citra ejusmodi interstitio-
rum adminiculum, facile reperiet, qvomodo facta
seri solutione in vasis, instauratoque sanguinis circu-
lo, aquæ in vascula cutis congestæ, tardiusque pro-
gredientes, per poros ejus, & renum, atqve intesti-
norum ductus exprimi, atqve exhausti possint.

V.

Veruntamen libens largiar, id quod Britan-
nici magistri admonuerunt: quicquid in corpore
nostro inest solidi, id omne ex fibris aliter atque ali-
ter esse contextum, quarum meatus, quosdam velu-
ti tubulos, plantarum more, succus nutricius per-
gret; in spatiis autem intermediis arteriæ, venæq;
choreas suas ducant. Fibras vero, quibus v. g. mu-
sculi constant, vasis illis esse interjectas, & sanguini
progressioni, in orbem circumactæ, patefieri; id mil-
quidem nemo temere persuaserit, quando nec ra-
tic

DE INFLAMMATIONE.

tione, nec sensuum ministerio comprobari talis sententia unquam poterit. Quin potius crediderimus, vasa omnia, sanguinem vehentia, connecti inter se ac copulari, ex summisq; arteriis, sine alterius interventu, venas summas sanguinem haurire, hasque pariter, & poros omnes, ductusque excretorios ex arteriis egredi, atque adeo arteriarum propagines esse, ac surculos. Quam in sententiæ partem mihi accedit *Jo. Suydam*, Anatomes usu præstans; quem *CL. Theodor. Craanii*, *tr. posthum. de homine p. 290. & 731.* tradit, idem illud, (quod præcepimus modo) ac se ipsum sensisse, neque aliter potuisse illum suis experimentis, & microscopiis exquisite confessis, & incisione quamvis subtili, quidquam indagare aliud, quam venarum, ut idem ait, cum arteriis continuationem. Quorum, ut cetera copiosæ commemorationis tædio omittam, non parum adjumenti affert experimentum illustris *Bellini*, (*tr. de pulsib. p. 66.*) cuius fide usque, summa quaque animalis vivi capillari arteria ex transverso incisa, sanguis omnis effluit, adeo ut brevi animal moriatur. Quod fieri sane hard posset, si sanguis in ipsam porosam, & cavernosam partium substantiam, effunderetur, per eamque deum in venas trajiceret. Quam vero rem cum graviter diligenterque persequatur *CL. V. Archibaldus Pitcairnus*, qui magna dignitate nuper admodum *Lugduni Batavorum* artem salutarem docuit, (*diff. de motu sangu. per min. vas. §. 16.*) ejusdem ore, linguaeque hoc loco uti, haud fuerit alienum: *Ex his etiam deduco, (inquit) inter arteriam enascentem, & nascentem venam, nullum intercedere spatum, aut corpus, quod possit,*

aut pro partium poris, intersticiisque, aut pro glandula-
haberi, nempe intra quod oscula arterie venæque seorsum-
biantia propendeant: nam in illud spatum corpusve effu-
sus sanguis multo faciliter undiquaque comprimeret, & ad
mutuum contactum adigeret latera membranarum, vene o-
sculum efformantium, quam posset in osculum illud subin-
gredi, & sic non rediret sanguis ad cor per venas; redit
autem, & per has quidem, quarum iecirco ostiola necessario
sint arteriarum ostiolis conjuncta, atque continentia. Pro-
fecto, cum pori, sive partis, sive glandulae, primo arteria-
rum ostiolis occurrentes sint circuli, sive hi sint minores, si-
ue majores circulo arterie evanescentis, sunt tamen ei con-
tinenter adjuncti, & quoniam hi pori necessario sunt orifi-
ciis nascentium excretiorum proxime adnati, decet vasa
excretoria ramulis arteriarum annumerare; sicut vene ni-
bil aliud sunt, quam eadem arterie flexu contrario corver-
sus replicate.

VI.

Quæ doctrinæ ratio ad ingenium naturamq[ue]
inflammationis, porro perspiciendam, permultum
valebit. Nam causa huic proxima, ac continens,
quam vocant, nulla verior assignari poterit alia, quam
sanguis, in suo per minores arterias cursu impedi-
tus, a novoq[ue] sanguine, continuo succedente, ad
impetum, & vehementiorem in arterias impressio-
nem exagitatus. Quo minus enim hoc sanguinis
per venas motui demus crimi, mechanicæ vetant
leges; cum sciamus, ea vasa ex spatio angusto ad
augustum, si a porta, quæ eo loci arteriæ munus su-
stinet, discesseris, cuncta tendere, qviq[ue] iisdem ve-
huntur, humores, in ampliores diffundi ductus, atq[ue]
adeo

adeo locum sibi paratum invenire, nec vi sensibili in canales extrorsum niti posse. Contra quam arteriis accidit, quæ via contrario modo a basi in verticem conicam abeunt, obstructioni pariter, & nifui, impetuique sangvinis, pulsu cordis adventi, nec transitum invenientis, magis sunt expositæ. In quo nobiscum facit clarissimum Medicinæ lumen, hujusque Academiæ ornamentum illustre, Vir Generosus, & Magnificus, *Georgius Francus a Frankenau*, qui rationibus iisdem inductus, causam interiorem hæmorrhoidum, & hæmorrhagiarum aliarum in apertas arterias contra pervulgatam sententiam confert. *Not. ad Diff. elegant. de hæmorrhoid. VI.*

VII.

Ab hoc enim fonte profiscuntur omnia omnino phænomena, ex quibus, inflammationem adesse, cognoscimus. Atque, ut a tumore commemorandi auspicium sumam, efficitur ille, cum sanguis, qui pulsu cordis per arterias majores affertur, minores ramos, & apices arteriarum pervadere, atque adeo recipi a venis, & redire ad cor, quo solet circulo, non potest. Quare eadem cordis contentionе, integro semper sanguine suffecto, arteriisque, minus per viis, incusso; has, necesse est, æque ac partes, quibus illæ adjacent, supra justam naturalemque molem efferri. Cum vero pro affectarum arteriarum capacitate, ac numero, magis minusve intumescere partes consueverint: errorem illorum animadvertiscet, ac judices, qui tumorum ad inflammationis naturam negant pertinere, propterea quod erysipelas quædam inflammationis sit species, neque eo secius

tumorem, adeo in sensus incurrentem, non habeat. Nam omni omnino tumore erysipelas velle libera-
re, quid tandem sit aliud, qvam experientiae quoti-
dianae nulla ratione inductum, ac permotum recla-
mare? Levior autem hic tumor observatur, qvia
per exiles tantum, cutaneas, aut per partium aliarum
superficiein disseminatas arteriolas, iter sanguinis
impeditur; unde minus etiam partem distendi, &
intumescere necesse est. Neqve vero minus colli-
gas, veteres nulla gravi, idoneaque subnixos causa,
sanguinem a calore, vel dolore, ad partem affectam
attrahi, vel majore vi ad partem unam apportari,
voluisse: qvando illa quidem humorum in parte ac-
cumulatio, non ab uberiore sanguinis in partem u-
nam accessione, ejusdemque attractione, sed ab ob-
structione arteriarum minorum, cursuqve sanguinis
impedito, pendet. Quo loco quemadmodum anti-
quitati, cuius plurima, & immortalia in nos merita
extant, merito ignoscimus, qvum sanguinis perio-
dus nondum tam aperte ei innotuerit; ita haud scio
satis, quo forte nomine sit excusandum, qvive ab
ecchymosi, & suffusione, distingui inflammatio pos-
sit, qvando nostræ memoriae quidam in sanguinem,
non arteriosum illum, sed venosum, aut ar-
terias inter venasque insidentem, hanc culpam con-
ferunt.

IIX.

Eadem plane est doloris tensivi, ac pungentis,
pulsantisque ratio. Cum enim sanguis fluxione na-
turali arterias, minus pervias, peragrare neqvit; ibi
interceptus non cumulatur modo, & majus sibi spa-
tium

tium exigit, sed etiam ad obstaculum proiectus retroire cogitur, atque occurrens sanguini, perpetuo affluent, inter duos contrarios motus veluti pressus, utriusque impetu disjicitur quaqua versum, ac vehementius in tunicas arteriarum impellitur, & cum insolenti fibrarum distractione extrorsum eas urget, ac trudit. Unde necesse est, violentam arteriarum expansionem, & diastolen, sive pulsationem, cum sensus molestia exoriri. Hoc autem vehementior erit sensus, quo major sanguinis est impetus, quoque majore copia liquidi elasticis nervorum villi, ac partium affectarum, turgent, & distractioni, ac pressioni arteriarum fortius resistunt, minusve cedere possunt. Quemadmodum experimur, acerrimos esse dolores pleuræ, pericranii, membranarum cerebri, & ceterarum, quæ magis sunt extenæ, ossibusque affixæ. Ac cum illo sanguinis intra arterias resultu, & impetu, mutuoque particularum, in affuentes refusarum, nisi, major singulorum attritio, & motus perturbatus valde, ac vorticosis reddatur: non est mirandum, si sanguis intra conceptacula illa magis magisque incalescat, atque a denso æstuantium particularum, veluti igniculorum, agmine, impulsuque, dolori, ardoris sensus concutienti, conjungatur, simulque rubedo per vasa pelluceat. Quidque cum pro certo sit habendum, partium non minus calorem, quam colorem, dissimilem a dissimili sanguinis motu pendere.

I X.

Neque obscura esse potest ratio, quamobrem febris individua sit inflammationis comes, in parti-

bus, qvæ multis magnisq; arteriis, quas copioius sanguis perfluit, sunt instructæ. Cum enim inflammatio motus sanguinis, intra arterias præpediti, tumultuantisq; ve qvædam sit affectio; consequens profecto erit, ut, qvicq; id in sanguine crassius est, minusq; ve mobile, ad illum arteriarum obicem subsistat; qvod autem liquidum maxime, & calidum, igneumq; vigorem habet, & vehementius agitatur, partim obstructionum claustra perrumpat, partim per laterales quosdam arteriarum ramulos eodem impetu, atq; commotione vehementi, eademq; continuata, exprimatur; ac per venarum tubos cor, vasaq; pulmonum pervectum, totam sanguinis massam, atq; adeo corpus tandem universum, eodem fervore, æstuque immodico conturbet. Ut dubitare liceat, annon febris cuiusvis initio quædam arteriarum capillarium, plurium, pauciorumve, adsit obstructio, febresque plerasque continuas hujus illiusve visceris inflammatio excitet, ac foueat. Nam si dederis, sanguinem per omnia corporis vasa in orbem integræ circumduci; is certe, quantumvis sit cacochymus, æstum talem, ac ebullitionem facile non concipiet; qui statim, corrupti incipit, & juxta particulas minimas non naturaliter agitari, qvoties conferta illi, atq; ab origine inedita circumductio fuerit interrupta. Qva quidem opinione hoc magis confirmor, quod multos videamus cacochymia quidem vexatos illos, nec tantum febricitantes; non paucos vero sanos, ac bene habentes, nulla mutatione in humorum diathesi facta, in febres implicari, motu in humoribus tantum naturali impedito, vitio potissimum vasorum, atque meatuum.

X. Illud

X.

Illud vero satis, opinor, perspicuum est, rem inflammationi subjectam, & sedem veluti arcemque mali, arterias esse; latiusque ejus vim patere, quam multorum fert opinio, eamque membra omnia, quæ quidem arteriis sint prædita, atque instruēta, ipsaque adeo ossa complecti. Ut non possum non mirari, qui fiat, ut cum clarissimo *Jac. Tappio, c. 6. Diff. de Princip. sens. s. int. funct. lesion.* quidam dubitare cœperint, possitne cerebrum inflammatione occupari. Præterquam enim quod usu frequentissimo perdoctus, ille ex veteri memoria, divinus *Hippocrates*, inflammationem in propria cerebri substantia clare proponit, ejusdemque illustria indicia, perite diligenterque dat, & curandæ præcepta tradit, *libro III. de morb. ineunte*; ipsa quoque ratio admonet, partium ceterarum maxime cerebrum inflammationem capere, propterea quod tot innumeris arteriarum, carotidum, & cervicalium, propaginibus, non solum per membranas, sed & per ipsum ejus corpus distributis, quasi rivulis circumcumfusis irrigatur; ac risu excipiendam esse illorum rationem, cerebrum propter mollietatem suam tumore vix posse effterri, existimandum, cum potius eadem de causa idem illud tumoris maxime sit capax, exemplo mollis pulmonum visceris, quod haud raro tumore ejusmodi incenso, & ardente corripitur.

XI.

Nolo autem omnem causarum seriem, qvibus ille sanguinis in orbem motus, transitusque per arterias intercipitur, & quarum multæ omnino, variæque sunt

sunt, enumerare hoc loco; quippe cum omnes ad sanguinis, viarumque vitia commode satis possint revocari. Suapte culpa sanguinis motus per arterias minores sistitur; ubi vel abundantia, vel commotione vehementiore, vel crassitie visciditateque, aut coagulo, naturæ negotium facessit. Ac copiam quidem, & redundantiam humorum, plerumque argunt inflammationes, ex suppressis menstruis, hæmorrhoidibus, hæmorrhagiis narium, liquore genitali, exspiratione corporis, & ceteris, si quæ sunt, evacuationibus, aut natura, aut consuetudine corpora levantibus, haud raro ortæ. Quo annuæ phlegomatiæ, atque sacrifices pertinent, quibus affveti cum eas intermittunt, subinde inflammatione qvadam solent corripi, quam tamen antevertere possunt, si matura sanguinis missione vasa deplentur. Id quod inde fieri credideris, quia a majore collectorum humorum copia, quam quæ fluere cur su ordinario per vasa possit, & robur cordis debilitatur, & tono suo dejiciuntur arteriæ, atque contractioni fiunt impares, seque non minus, quam venas, plus æquo comprimunt. Quibus causis, vel levissima occasione data, poterit fieri, ut ob quantitatem majorem, per anfractuosas præsertim, & magis pressas, ac impeditas arterias, sanguis segnitus progressus, prementibus se invicem ejus particulis, id qvod liqvidius est, exprimat, crassisque subsistentibus ad capillamenta arteriarum, easdem infarciat, & sibi ipsi obicem ponat, atque inflammatiæ obstructionem pariat. Nec vero minas enimis vehementi sangvinis incitatione, propter citatur

tum cordis motum, atque contentionem acriorem, usu venire solet, ut præcipitante motu sanguis concitator in arterias irruens, cum omnis expedito itinere cunctos illarum minores ramicos trajicere nequeat, parte quadam sui crassiore ibi resistat, & subsequenti iter intercludat.

XII.

Pari modo sanguis lentescens atque viscidior, impedire potest, quo minus omnes arterias obeat. Enimvero quoad lento, per sanguineam diffusus massam, meatus vasorum peragrat, atque ex angustiis arteriarum in venarum tubos rejicitur, id quidem mali haud efficit. Qvod si contigerit, ut contractus in sanguine lento per arterias quasdam capillares difficulter provolvatur, & amissio tandem motu, iis in angustiis infixus, abripi in venas nequeat, sed accumulatis aliis super alias particulis pittuitæ specie subsidat, & agglutinetur, statumque sanguinis per illas arterias motum impedit; necesse omnino erit, eas arterias magis magisque a sanguine continuo affuso extrorsum trudi, & in tumorem ardenter pariter ac dolentem efferri. Quorsum coagulatio sanguinis spectare videtur, cum aut ab alieni mixtione, aut propriarum partium secessione, in grumos, & coeuntem massam abit, & viam sibi ipse, ac transitum per hos illosve venarum pulsatilium, ac viscerum præsertim, ductus præcludit: Unde inflammations, cum gravissimis conjunctæ symptomatis, cordis scilicet anxietatib⁹, tremorib⁹, palpitationibus, spirandi difficultate, deliquiis animi, deliriis, & spasmis, producuntur. Neque enim citra ingentem fe-

brem, atque periculosam, fieri interiorum inflammations possunt: quum sint hæ febres, quæ interiores inflammations consequi solent, omnium deterimæ, & maxime mortiferæ ut ipse *Galenus* affirmat *Lib. IV. Aph. Com. 55.* Quibus rebus præclaro argumento esse poterit sanguis pleuriticorum, & aliis ejusmodi inflammationibus laborantium, venis emissus; qui præterquam quod grumosus interdum exit, ac sæpe puncto temporis congelat, in summitate muco quodam lento, veluti crusta, albo plerumque, interdum livido, imo viridi quoque, & versicolore, obduci videtur. Nam rarum est, & notatu dignum, quod in febre summe maligna, quam nunquam sine inflammatione visceris cujusdam, etiam si de dolore non conquerantur ægri, videoas, observavit *Sim. Pauli, digress. de febr. mal. p. 21.* Sanguinem detractum floridissimo colore apparuisse, sed adeo crassum, tenacem, lentum, ut vasa rotare, aut omnino invertere, fundo vasis suprema occupante, citra guttulæ dispensium liquerit. Idemque ipsa demortuorum cadavera confirmant, in quorum non præcordiis tantum, sed & hepate, & vasis ceteris, ipsoque corde lensor eiusmodi viscidus, & compactus sæpe reperitur. Adeo, ut his rationibus permotus præcellens ingenio vir, *Marcellus Malpighius*, pleuritides ultra febrem acutam, non nisi polyposas concretiones esse in pulmonibus, existimet, *Tr. de polypo cord.* Qvoc ipsum *Th. Villisius* affirmat, cum, concretiones, ait polyposas in vasculorum pneumonicorum angustiis frequentius hærere, & turbando sanguinis cursum dyspnœam, pleuritidem, peripneumoniam, & ruptio ne

ies vasorum, sputaque cruenta excitare, atq; adeo
in partibus aliis affectus alios sæpenumero produce-
re. *Pharm. Rat. p. II. f. I.* Nec minus Clarissimus
Laurentius Bellini præcipuam inflammationum inter-
iarum causam in lentorem ejusmodi sanguinis, arte-
riarum capillamenta occupantem, rejicit. *Tr. de febr.*
p. 371. & de Morb. pector. p. 643. Quo pertinet exemplum
viri pleuropneumonia maligna mortui, quod *Mart.*
Bogdanus prescripsit ad *Tb. Bartholinum Cent. IV. ep. II.*
Quin & in illis, qui epoto veneno, ac per febres ma-
gnas, pestilentes, ipsoque morbo pestifero, pere-
int, non minus in vasis, quam corde, in polypos, &
carosas, fibrosasq; concretiones interdum, interdum
vero in rude coagulum duntaxat, grumosq; sive pseu-
topolypos, sanguinem concrescere, intusq; in corpo-
re inflammations variarum partium, & anthraces,
ac exanthemata, qualia alias extrinsecus apparent,
deprehendi, experientia testatur. Quemadmodum
præter *Malpighium*, quem laudavimus, diligenter
imus Anatomes cultor, *Volcherus Coiterus*, *obs. anat.*
Schir. p. no. Sebastianus Pisinnius, *ep. de cordis polypo*, *p. 125. &*
seq. Adr. Spigelius, *I. I. de semitert. c. 4. seq. Corn. Gemma, descr.*
bænitrit. pestil. Th. Bartholinus Cent. 3. ep. 2. Laurent. Gieseler,
obs. de pest. 81. Diemerbræck. I. 4. de peste, hist. 5. memoriae
prodiderunt.

XIII.

Viarum autem vitia potissimum in soluta vaso-
rum unitate, ut & compressionibus eorum, ac con-
strictionibus, consistunt, utpote quibus meatus illo-
rum, cavaque angustantur, humorumque derivatio-
nes, & motus per venarum pulsatilium ductus fistun-
tur. Ut minus necesse videatur, omnium eviden-
C 2 tium

tium, & procatarcticarum causarum numerum inire, easque, suo quamque ordine, commemorare, quæ singularis diebus nobis ante oculos obversantur. Ex his enim, quæ prædiximus, satis, opinor, perspicuum est, qua ratione caloris & frigoris excessus, atque eorum in primis mutationes repentinæ, ac frigida, quævis, terror item panicus, & dolores acerbiores, non minus, quam injecta vincula, & admota partibus cum repellentia, quæ vocant, tum adstringentia alia; contusiones amplius, vulnera, erodentia, luxationes, fracturæ, exercitationes immoderatæ, liquorumque ardantium usus immodicus, & causæ similes, laxando villos arteriarum, vel densando, contrahendo, ac solvendo, vel constipando, & comprimendo, obstruendoque poros, & coagulando, ac fistendo humores, aut immoderatus agitando, infaciendoque arterias, inflammationes excitare possint. Illud tamen prætereundum non est, perperam vulgo in inflammationis causis haberi omissam sanguinis ab inflictis vulneribus detractionem; quandoquidem sanguinis, cetera bene habentis, accessio obstructionem, ac inflammatory dispositionem, quæ agimus, afferre nequit, nec sine damno sæpe, & diminutione virium educitur.

XIV.

Quare facile intellectu est, inflammationum aliam a causis interioribus, aliam ab externis profici; & inutilem esse ac supervacaneam divisionem ejus in legitimam, & spuriam, natum nempe in *Galen* cerebro spurium nobilis ingenii foetum. Magis spectatu dignum est discrimen, quod a parte affecta duci-

ducitur; ex quo inflammatio alia interior, alia externa est, & rursus utraqve nomine generali exuta, speciale induit, denominatione a membris laborantibus habitu petita. Quarum quidem qvarundam etsi saepenumero sit difficilis admodum cognitio, cum intra recessus viscerum, & vasorum absconditæ, inscientibus non raro medicis, ac nil minus, quam tale quid cogitantibus, homines e medio tollant: tamen diligent omnium phænomenorum, ac præcipue actionum læsarum, consideratione, in primisque ex iniquo calore, ac malignitate febris, in certiores earum notitiam licebit pervenire.

XV.

Indidem emergit Prognosis. Nam quo nobilis est membrum, & vasorum, sanguinem, atque elasticum, & nutritium liquorem vehentium, majori copia donatum, quoque graviora conjuncta symptomata; hoc gravior & periculosior censenda est hæc affectio, eoque citius acutorum more sua decurrit, spatia, ac saepè non tam dierum, quam horarum curriculo circumscribitur, ac finitur. Ut non immerto inflammationem tumorem dicere liceat, cujus celeres sunt mutationes. Is autem morbus, nisi repente hominem extinguat, aliud atque aliud exitum habet. Aut enim latente materiæ resolutione finitur, quæ probanda omnino est, fitque, cum, divisa in minores portiunculas obstruente materia, extrusaque e finibus arteriarum in ductus venarum, naturalis sanguinis circuitus parti restituitur: Aut in suppurationem vertit, cum ruptis, aut sectis, aut exefis arteriarum apicibus, pars quidem sanguinis

in suos alveos redit; pars vero extra vasā intra fibras subsistit, ex quarum erosio[n]e staminibus exsudans lympha cum nutricio nervorum succo in purulentam materiam, atque abscessum convertitur.. Qui quidem salutaris s[ecundu]m est, partibus præcipue externis, & carnosis, e quibus pus sine noxa facile excluditur; interdum tamen exitiosus, atque mortifer, præcipue interioribus partibus, atq[ue] visceribus. Non nunquam vero inflammatio, mala potissimum curatione expressis tenuioribus, atq[ue] mobilibus particulis, & concretis constipatisque crassis, & siccioribus, in durum, ac scirrhosum vertit tumorem; q[uod] vero minus probandum est: Aut cessante vitali influxu, & ad putredinem vergentibus humoribus interceptis, plane in gangrænam degenerat, q[ua]m plerumq[ue] affectæ partis, vel corporis totius in critus consequitur.. Atq[ue] hæc causa esse videtur, q[ua]m obrem inflammationibus interioribus, & febris malignis laborantes, subinde sudore q[uo]dam frigido madeant, ac cadaverosum s[ecundu]m fœtorem, tanquam signum clam invalescentis νεκρόσεως, & vivum jam sensim computrascere hominem, aliquot ante mortem diebus exspirent, illorum more, qui gangræna sphaceloq[ue] pereunt.

XVI.

In Curatione autem caput est, ut vitalis circulus sanguinis, transitusque ex arteriis in venas restituatur.. Q[uod] ut bene feliciterq[ue] eveniat, cum pro variis causarum, & partium laborantium indiciis, varia proponenda sint remedia: Nos generalem duntaxat curandi rationem hoc loco sequemur, quam tutu-

tuto quis tenere possit, dummodo singulari qvōvis casu alia, atqve alia adjiciat, qvæ vel causæ, vel membris affecti natura, atqve conditio svadere videatur.

XVII.

Ac cum a venæ incisione multi curandi auspicium petant, nolim eqvidem eam plane refellere, siqvidem vires ægroti ferant, eaqve copia affluant corporis succi, & usqve eò aucti sint, ut vasa nimium oppleant; cum ceteroqui vix qvicqvam ab ea expectandum sit. Multus qvidem fuit in explicanda revulsoria, qvam vocant, venæ sectione Clarissimus *Bellini*, ac *t.c.* existimat, detracto sanguine per venam lateris oppositi, ab eodem trunco venientem, minorem illius copiam in partem laborantem fluere, & minore etiam velocitate, quam per oppositam, ex qua sanguis ducitur, atqve adeo diminuta sangvinis copia, locum contractioni arteriarum concedi, & per eam cieri in motum particulas obstruentes, abripique ab affluente sanguine, atqve in venas traduci facilius posse. Verum si animo reputemus, eo tantum articulo temporis, qvo vena est aperta, impetum sanguinis, a qvo tamen solutio obstructio-
nis expectanda, aliquantulum remittere, unaqve cum sanguine misso insignem virium jacturam fieri, ac diminuto vitali elatere, reliquos humores ad lentescendum, vt ait *Villisius*, ac concretionem ornos, facilius coire, atque adeo obstructionem inflammatoriam potius augere, tantum abest, ut eam olvere valeant; aliter fortasse sentiemus, præsertim cum cogitemus, inflammationes plerasque interiores,

res, & illas præcipue, quæ præcordia occupant, febres acutas, malique moris comites habere. Mihi semper præceptum putabo, quod *Hippocrates* dixit de diet. in acutis. In morbis acutis sanguinem detrahes, si vehemens fuerit morbus, & ægroti etate florente fuerint, & viribus valuerint. Vires enim in his plerumque vehementer languent, quibus ceteroquin ad morbi solutionem validissimis opus esset, nullo modo venæ sectione dissipandis. Quam vero inconsidere agant, qui, temperandi æstus febrilis causa, vasa deplent, inde fortasse apparet, quod idem saepe a sanguinis missione augeatur, & ingravescat, in pejusque res ægri ruere obseruentur. Recte enim, si unquam, dixisse videtur, *Job. Bapt. Helmontius*: *Tantum sanguinis missam refrigerare, quantum de calido vitali furatur.* Ac si quando, extra plenitudinis casum referatur illa saluti fuisse inflammationi, indeque convaluisse ægros; certe, quos illa non peremit, sorte servati dicendi. Vereor enim, ut quis tot (si ullum omnino vidit) proferre possit, qui sanguinis missione fuerint sanati, quot, ea adhibita, emori quotidie videmus. Sicuti ergo in expellendis febribus ancipitem, incertumque exitum habet larga frigidæ potio quæ æstum restinguat, ac leniat; contra, quam *Georg. Hornius* existimat, in arca *Mos. p. 124.* cum plurima exempla extent hominum interemtorum, qui eadem curandi viam institerunt: ita non minus timendum ab incisione venæ, temperandi æstus causa adhibita, qua calor non tam immoderatus, & qui febrilis putatur, quam vitalis, minuitur & dissipatur. *Hippocratem* certe, & antiquissimos medicos, in

mittendo sanguine tam audaces non fuisse, ac multi nostræ ætatis solent, qui saepe cum sanguine vitam adi-
munt, libri & monumenta eorum, in unum collec-
ta volumen, uniuqe attributa Hippocrati, posterita-
ti relicta, loqvuntur. Ex recentioribus autem, ut o-
mittam *Helmontium*, *Francise. Sylvium*, *Dan. Ludovicum*,
Robert. Boyleum, aliosque multos, qui pleuritides, alia-
rumque partium inflammations, posthabita omni-
venæ sectione, solis remediis sudoriferis, ac dissol-
ventibus, tempestive exhibitis, saepius cito, & felicissi-
me sustulerunt; nuper admodum doctissimus vir
Lucas Tozzi, Neapolitanus, *Comment. in Aph. Hipp. L. I.*
aph. 3. ita tradit: *Si experientiam appellant, qua pluri-
mos per phlebotomiam sanatos fateantur; testor ex adverso
psœ, multos me annos medicinam factitasse, & in Xenodo-
bio Parthenopæo D. M. A. centenos, & milletos brevi cu-
rasse, sine ulla sanguinis evacuatione: licet phrenitide,
leurisi, angina, hepatide, hæmoptoe, erysipelate, omnisque
generis febribus, fuerint correpti; ut proinde jam in pro-
stulo sit, quamlibet posse agrotationem cito, tutoque curari,
ibique ulla sanguinis effusione; & si aliquando illa locum
habeat, in sanis potius, & in athleticis, plethoricisque cor-
ribus, ad plenitudinem minuendam, juxta mentem Hip-
pocratis commendanda, ne in immedicabiles ægrotationes in-
cidant, & suffocationis periculum incurram.*

XIX.

Quamobrem nisi plenitudo negotiorum naturæ
cessat, viriumque robur permiserit, non temere
lum vitæ fontem aperiamus, sed ad ipsam potius
inflammationis causam convertamus animum, ut
ote quæ, tanquam radice morbi, præcisa, sympto-
D mata

mata inde pullulantia, veluti fructus morbos, suapte sponte exarescunt. Atque adeo maxima medicinæ spes in diaphoreticis, ac dissolventibus sanguinem, ponenda erit, qvia ignota sunt meliora, qvibus necessaria humorum divisio augeri, ac vitalis circulus instaurari possit. Qvorum qvidem pleraq; sale acri, plus minus temperato, ac sulphureo, tenuique, ac volatili, vel fixo pollent; alia vero metallica sunt, & figura sua, motuqve magis constanti vim dividi humores viscosos, atterendiqve plexum fibram, & sales acidos, coaguli nonnunquam fabros, corrigendi, evehendiqve egregiam habent. Intermulta laudasse suffecerit sales vol. sangvin. hum. vel cervini, cornu cervi, eboris, ossium cap. luc. pisc. viperar. aliosqve animantium, nec minus illum salis ammon. fuliginis, & tartari; eosqve siccios, vel liquidos, qvos spiritus appellant. Qvo accedunt, qvæ salibus illis abundant, cornu cervi, ebur, ac utriusqve gelatina, ossa cap. lucii pisc. dentes eqvi marin. castor. apr. unicorn. marin. mater perlar. test. ostrear. lap. bez. or. & occ. lap. cancr. percarr. sangv. hirc. pri ap. cet. cerv. tauri. Cerebri orcæ, sive spermatis ceti, quod vocant, ustis in dissolvendo lacte, sanguine qve coagulato, est pervulgatus. Eodem pertinen plantæ variæ scorbuticæ, ac bezoardicæ dictæ, aeres & amaræ, & ex iis paratæ aquæ, essentiæ, & spiritu theriacales, ac bezoardici, tintetur. bez. atque mixt simpl. cum & fine camphora; qvæ qvippe cunct coagula humorum dissolvunt, ac impellunt. E fot filium familia, in primis antimoniana, ac cinnabarin hic eminent. Virtutes enim antimon. diaphore be:

bez. mineral. simpl. ac compos. nec non cinnab. nat. & antimon. fugere neminem possunt. Qvancquam de præparatis antimoniatis notari referat, eorum magnam vim a nitro, in poris illorum inclusa, pendere, idqve in præparandis diligenter observandum esse, cum ceteroquin in calcem fere indissolubilem abeant. Nam de nitratis, nitro puro, fixo, antmoniato, & vitriolato, sive arcano duplicato, vel potius triplicato, notum satis est, ea fluxionem sanguinis permultum augere, ac æstum, & fervorem temperare. Eodem salium qvorumvis lixivorum, & vegetabilium genere, virtutes referimus. Neqve prætereundus medicinæ ex papavere, quod erratum, sive rhæas appellatur, confectæ usus, siqvidem vi humores attenuandi insigni gaudet. Ipsum opium, ex artis lege correctum, & præparatum, resolvens, & sudoriferum optimum esse, & in pleuritide feliciter nonnunquam adhiberi, laudatus a nobis Nobilis Britannus, *de util. philos. experim. Exerc. V. cap. 13.* testis est. Ex qvibus qvidem remediis facile convenientissima quæqve feligi, & aliæ atque aliæ formulæ confici, crebroque usu adhiberi poterunt, ut in sudorem blandum corpus solvatur. Qvo liquida potionis forma admodum conducit, ex aquis stillat. fl. sambuc. card. bened. scorzon. galeg. scabios. & similibus, diluentibus humores corporis, quibus sicca, ac liquida quævis misceri prudenter, pro indicacionum varietate, licebit. Neqve dissenserim potum, Thee calidum, cum vim addere remediis possit, quibus vehiculi loco inservit.

XIX.

Qvod ad Topica attinet, inepte, ac imprudenter agunt, qui aditum sanguinis ad partem incensam intercludere parant, cum id, nisi cum damno, exitioque partis, fieri nullo modo possit, & fundamento infirme substructo omnis hæc doctrina, & ratio medendi inædificetur. Itaque facessant hinc intercipientia, ut vocant, ac repellentia remedia, qvæ meatus vasorum occludendo, cruoremque impactum magis in crassando, atqve adeo moram addendo humoribus, plus damni, & periculi, qvam solatii afferre solent, ac citra rationem, qvod dedecori sit medico, qui ad sanitatem instaurationemque humanæ incolumentatis omnia unice referre debet, adhibentur. Illorum autem vicem, remotis quidem impedimentis externis, a qvibus vasorum ductibus læsio qvædam inferunt, suppleant, qvæ cursum sanguinis mature restituant, vel, si id fieri minus possit, nec tuto effici, materiam, impactam parti, ac infixam, exteriora versus cedere cogant. Priori scopo convenient dissolventia, decocta nempe herbarum, partim discutientium, bryoniæ, calamintæ, chamædryos, salviæ, melissæ, origani, absinthii, lauri; partim emollientium, chamæmeli, mercurial. meliloti &c. Egregius saepe est usus spiritus vini, simpl. & camphorati, si præfertim spiritui lumbricorum permisceatur. Multis auxilio fuit epithema, a Jo. Zuvelfero Pharm. Reg. p. m. 91. in omnibus inflammationibus externis, ad gangrenam etiam inclinantibus, commendatum, qvod linteolo dupli, vel triplici, in eo calide madefacto, saepius bene applicari potest. Profuerint quoque suffi-

suffitus & lavamenta , a *Jo. Muys Pr. Chir. rat. Dec. II.*
obs. 7. laudata. His fere similia, & fatus ex plantis a-
 aromaticis, ac discutientibus , in aqua vinoque co-
 etis, paratos, addito usus tempore spiritu vini , *Fr.*
Sylvius Prax. L. I. c. 40. suadet, qvi adeatur.. *Divi-*
nus Senex in dolore lateris fomenta calida laudat l.c.
 eaqve humida ; qvem in finem aquam calidam in-
utre, vel vesica commendat ; aut spongiam mol-
 lem, & magnam, ex aqua calida expressam ; vel sic-
 ca, sal, aut milium torrefactum, in facculis lineis la-
 teri admotum. *Qvalia* fomenta adhuc vulgi usu te-
 runt, saepeqve amplis compositionibus præstant.
Qvem admodum de lacte, in primis calido, cui flores
 chamomill. vel sambuci incocti, vesica bubula exce-
 pto, notum est. *Qvosdam* sola aqua fl. sambuci, ca-
 lide applicata, levavit , qvæ qvidem efficacior fuerit,
 si ea lapis medicamentosus solvatur. Inter empla-
 stra de spermate ceti dictum , ac de meliloto, ut &
 diaphoreticum, ordinem ducunt. Suppurationem
 vero promovent, quæ molliunt, & laxant, ac fomen-
 tis suis, atqve blanditiis humores colligunt, & evo-
 cant. Sufficere autem pauca possunt, qvorum qvæ-
 dam jam commemorata sunt. In qvorum censum
 cooptentur decoctiones ex rad. alth. fol. malv. meli-
 lot. branc. urs. fl. chamæm. sambuc. sem. lin. fœn. gr.
 caric. pingv. farin. fabar. ex aqua, vel cerevis. tenui,
 aut sero lactis, fatus, aut cataplasmati calidi , saepius
 renovandi forma. Usu contrita sunt empl. de me-
 liot. diachyl. simpl. & aliquando cum gumm. Ea-
 vero cuncta circumspecte adhibenda sunt. Est enim,
 cum dissolventia temperata fortioribus, sicca humili-

dis, emollientia, & maturantia discutientibus, utraque conjuncta, emplastica ceteris, prævalent; de qvibus ordine dicere hoc loco nil attinet, cum de inflammatione generatim solum agere constituerim.

XX.

Neqve vero Diætæ præcepta ample copiose, que tradi necesse erit, cum pro indicationum dissimilitudine ea præscribenda sit. Purus autem & temperatus aer maxime proderit, cum vietu potuque tenui, ex aqua hordei, & brodio carnium, juscumqve viperinis, ut & pullorum, gallinarum, & caponum, qvibus diaphoretica temperata, in primis que gelatina C. C. addi, utile erit. Opera etiam danda, ut bono animo simus, & somno vires reficiamus, excretionesque, ac exspiratio præsertim corporis, vigeant. Ille extreum error coarguendus est, quo ducti existimant vulgo, excitatis fonticulis in opposita corporis parte, homines inflammationis, aut tumorum similiūm, periculo expositos, eos morbos præcavere posse. Nullum enim intercedit singulare commercium inter membra illa opposita, neque etiam pus manans e fonticulo e longinquis partibus venit, sed succus partis nutricius est, mutatus in excrementum ipso in fonticulo. Qvare non injurias sagacissimus Hippocratis interpres, Proß. Martianus, Annot. in L. de humid. s. liquid. us. p. 121. enumeratis damnis, quæ putre hoc remedium conseqvi solent subjungit: *De illis vero mentionem facere nefas est, quibusmodi cauteria pro tuenda valetudine agris consulunt digni potius, qui a civitate expellantur, quam confutentur*

Dum enim sanis corporibus novos ductus pro excrementorum expurgatione constituunt, non solum humano generi officiunt, sed impietatem quandam in summum architectum committunt, tacite illi imponentes, quippe qui in hominis constitutione necessarias expurgationes ignoraverit, aut sufficientes vias accommodare non potuerit.

Accessio.

FEBRUM intermittentum tutissimum pariter & fortissimum remedium est cortex Peruvianus, cuius usum qui principio illarum dissuadent, ægrosque febre aliquandiu vexandos censem ante, quam illum adhibeant, nil plus sapiunt iis, qui hydropis, febres illas excipientis, culpam in eundem conferunt. Nam satis præclara suarum virium exempla prodidit in debellandis, non solum novis, cœptisque febribus, sed etiam inveteratis, iisque cum œdematosis pedum tumoribus, & aqua intercute, febre collecta, conjunctis, itemque continuis ipsis, nulla omnino vomitione, aut san-

sangvinis missione, aliave exinanitione sensibili adhibita, qvarum aliam atqve aliam, interdum quidem necessariam, saepiuscule autem inutilem, ac perniciosa existimaverim. Nec vero minus rationi concilia tur eadem corticis efficacia, cum vis non minor aperiens, ac divellens, & dissipans in minima lentorem febrilem, quam corroborans in eo insit; secus, atqve opinantur, qui obstrukiones inde, febres duplicates, & cachexias metuunt, naturæ tanti remedii, ac usus, indolisqve febrium ignari.

S. D. G.





Ignes nosse bonum est, inflammato
sqve recessus,
Cum medicam anhelans postu
lat æger opem.

Promptam appone manum miseris,
Doctissime MARCHAND,
Solamen cunctis pone refrige
rium.

Honoribus medicis Nobilis
simi Dni Lti extempora
neo voto accineb.

Phil. Lud. Hannekenius, D.
h. t. Acad. Rector.

Flamma dedit Vitam, cum pectora prima Pro
metheus
Lustraret facula, & vivida membra daret.

E

Flam.

Flamma dedit mortem, Phaethon temerarius ausu
Cum vellet mundo lumina ferre novo.

Mors cum Vita ovo, ceu Flamma, creatur eo-
dem,

Diversis prodest moribus, atqve nocet.

Saepius hinc aegris nocet Inflammatio multis,
Sed laudem aeternam nunc Tibi, AMICE,
parit.

Nobilissimo Dn. CANDIDATO
Φιλοφίλιας ἔνεκα
f.

GEORGIVS FRANCVS de FRAN-
KENAV, S. Pal. Caef. Comes; Con-
sil. & Archiat. ac h. t. Facult. Med.
Decanus.

Dum TE multiplices plausus comitan-
tur euntem,

Rebus fausta tuis ominor ipse simul
Ac veluti cernam felicis tempora vitæ,
Impleri penitus, gaudeo, vota PA-
TRIS.

PRAESE

Sac

SAcra peregisti nostræ CLARISSIME MAR-
CHAND
Artis, ad augustum finem metamqve laborum
Pergis, & ingrederis cum plausu, & sidere fau-
sto:

Id docet Insignis Doctrina parata labore
Omnibus & monstrat, dum pulpita publica scan-
dis.

Inde TIBI, qvos inde cupis prensare, laborum
Nemo negat fructus; Omnes sed qvæqve precati
Optima felicem vitam praxinqve secundam!

H.

Nobilissimo Dn. CANDIDATO
Honores summos Virtute,
& Doctrina paratos gratu-
latur

Christianus Vater, D.
Prof. Publ.

Mercator studio sollerti currit ad Indos
Vt varias merces colligat atqve ve-
hat;
Non Syrtes curat, non imbræ atqve furores
Æolios, mortem spernit, & æqvor arat.
Tu, Mercatori similis, Clarissime MARCHAND,
Paonias merces nocte dieqve paras.

Merci-

Mercibus ecce Tuis prostant nunc nundinæ ho-
norum

Vendere nunc poterit, qvi bene cautus e-
mit.

eurolas evenia
f.

D. Georgius Frider. Francus
de Frankenau.

PRæmia sic aufers exhausto digna labore,
Amplificasqve gravi nomen honore tuum.

*Nobilissimo LICENTIATO, Fautori suo
honoratissimo, honores ingenii virtuti-
bus dignos, quo potest observantie stu-
dio, gratulatur*

Henr. Augustus Jacobi,
Med. Stud.

TEr fausto repetas patrias sub sidere sedes,
DELICIAE salvis sis, miserisqve SALUS.

*CANDIDATUM CL. Civem, & Ami-
cum suum, omnibus humanitatis offici-
conjunctissimum, confectis studiorum-
rationibus, ex Academico contuberni
discendentem, quibus potuit, ominibu-
prosecutus est.*

Jo. Lud. Greg. Lebrün
Med. Stud.